

mæ, ideoque obtenta secunda evanescit prima. Et ita sensit idem auctor supra, num. 29. Sed non caret difficultate responsio; primo, quia etiamsi demus, ex parte petentis secundam dispensationem, renuntiari primæ, nihilominus Papa non potest illam renuntiationem acceptare, cum illius cognitionem non recipiat. At renuntiatio non acceptata non habet suum effectum; ergo ex hoc capite non evanescit prima dispensatio. Deinde aut agimus de renuntiatione præsumpta, aut vera: prior non sufficit ut in conscientia habeat effectum, ut constat; posterior autem non semper invenitur; potest enim quis petere secundam dispensationem, non intendens renuntiare primæ; ergo tunc non est cur excludatur per secundam; ergo ambæ simul manebunt: nam, licet non possint simul mandari executioni, satis est quod in usu earum possit esse optio, ut possint esse simul. Item, satis est quod successive possit utraque habere suum usum. Imo hinc fieri videtur, nec præsumptam renuntiationem ibi intervenire; sicut habens dispensationem ad contrahendum cum consanguinea, licet ducat extraneam, non censetur renuntiare dispensationi, quia potest post viduitatem illa uti; ergo similiter in præsentia.

21. Propter quod probabilius censeo in illo casu posteriorem dispensationem esse surreptitiam, et necessarium esse exprimere priorem dispensationem, ut vel Pontifex ejus renuntiationem acceptet, vel illam irritet, vel utramque simul validam esse concedat. Alioqui enim verissimum censeo, sine scientia et consensu Pontificis non posse illas duas dispensationes validas simul permanere, quia est indulgentia quædam nimis extraordinaria, et parum rationi consentanea, et longe verisimilius est non fuisse Pontificem eam concessurum, si proponeretur. Deinde clarum etiam censeo unam illarum dispensationum non expellere aliam quasi per repugnantiam formalem, quia illam revera non habent, ut probat ratio facta; imo posset Pontifex utramque simul concedere si vellet. Tertio, existimo primam non excludi per renuntiationem sine animo renuntiandi, quia est repugnantia; et tamen etiam tunc non erunt ambæ simul validæ; ergo oportet ut secunda sit nulla. Præterea, etiamsi adsit animus renuntiandi, censeo non habere effectum ex defectu acceptationis, nec enim dici potest Pontificem, concedendo secundam, acceptare renuntiationem primæ, quia ab illo non petitur secunda ut secunda, cum non habeat notitiam vel memoriam pri-

mæ; ergo talis petitio dispensationis absolutæ non est signum externum alicujus renuntiationis; ergo nec concessio Papæ potest habere vim acceptationis; ergo ut duæ illæ dispensationes simul non maneant, necessarium omnino est posteriorem esse invalidam, non enim invenitur modus quo excludatur prima, quæ semel valida fuit, et aliunde non fuit extincta. Ratio autem surreptionis est clara ex principiis a nobis positis, quia tunc secunda dispensatio conjungitur primæ, et ex utraque simul resultat una gratia exorbitans, quæ non cadit sub intentionem Pontificis, et ideo ad valorem secundæ necessarium est exprimere priorem, quo illud incommodum vitetur. Et ideo non est simile, quando prior dispensatio suum usum habuit per quem extincta est: nam tunc non conjunguntur dispensationes, sed quælibet est unica pro suo tempore. Esset autem simile si absque usu prior dispensatio fuisset extincta per mortem alterius partis, vel aliud impedimentum perpetuum: nam tunc ex defectu objecti evanesceret prima dispensatio, et ideo est impertinens ejus memoria; atque ita formaliter procedit doctrina data, quæ ad similes casus cum proportionem applicanda est.

CAPUT XXIV.

AN DISPENSATIO IN UNO VINCULO, TACITIS ALIIS, OBTENTA, SURREPTITIA ET NULLA SIT.

1. Hæc quæstio tractatur optime circa impedimenta matrimonii a Patre Thoma Sanc. in dicto lib. 8, disput. 23; habet autem locum cum proportionem in aliis dispensationibus et legibus, et ideo breviter expedienda est. Duæ ergo sunt opiniones: prima simpliciter affirmat talem dispensationem esse validam quantum ad effectum ad quem impetratur, ut, si quis habens duas irregularitates ad ordines, petat dispensationem unius, verbi gratia, illegitimitatis, tacita bigamia, concessa dispensatione tolletur impedimentum illegitimitatis, manebit tamen aliud, ratione cujus non sufficit illa dispensatio, nisi addatur alia de altera irregularitate, et simile exemplum facile potest poni in matrimonio. Ita tenet Navar., cons. 6 de Rescript., et cons. 7 et 8 de Consang. et affinit., et sæpe alias in suis consiliis, quem secuti sunt multi moderni, quos supra refert Sanc., num. 1. Ex antiquis vero solum refert Joan. Andr., in Arbore affinitatis, § 2, n. 5, in tom. 9 Tract., n. 5, dicentem, qui habet simul im-

pedimentum affinitatis et publicæ honestatis, si petat dispensationem primi, tacito secundo, illud tolli, isto manente. Fundamentum est, quia potest tolli unum impedimentum sine alio, sicut et potest esse; ergo ex hac parte non repugnat talem dispensationem esse validam et habere suum effectum. Nec ratione surreptionis, quia nulla est lex quæ præcipiat expressionem plurium defectuum, ut tollatur unum. Nec ex natura rei est necessarium, quia, ut princeps habeat justam et efficacem voluntatem tollendi aliquem defectum vel vinculum, satis est ut illud perfecte narretur cum causa sufficiente ad dispensationem: hoc autem totum sufficienter narrari potest, explicando unum impedimentum sine aliis. Et addit Navar. ita observari ex stylo curiæ.

2. Secunda sententia universaliter affirmat esse irritam et surreptitiam dispensationem unius impedimenti, quando occultantur alia quæ erant conjuncta cum illo. Hanc opinionem censet esse longe probabiliorē Sanc. supra, n. 2, citatis multis auctoribus loquentibus circa impedimenta matrimonii. Frequenter enim dicunt doctores non valere dispensationem in uno impedimento, tacito alio, ut patet ex Panormit., in cap. *Non debet*, de Consanguinit. et affinit., n. 12, quem multi Summistæ imitantur, et Supplement. Gabriel., in 4, distinct. 41, artic. 3, dub. 7, et in simili Covar., in 4, 2 part., cap. 6, § 4, n. 11. Possent autem hi auctores exponi, ut intelligant non valere, id est, non sufficere, seu non valere ad matrimonium contrahendum; an vero valeat ad unum impedimentum tollendum, non definire. Sed est difficilis et dura expositio, quia non dicunt non valere matrimonium, sed non valere dispensationem, et Covar. dicit esse irritam. Denique multi alii auctores in propriis terminis dicunt talem dispensationem esse surreptitiam. Fundamentum hujus sententiæ reducitur ad principium positum, ut dispensatio legitime obtineatur, necessarium esse proponi Pontifici totum vinculum dissolvendum, secundum totam gravitatem, quæ intrinsece potest dispensationem difficiliorem reddere: unum autem impedimentum censetur moraliter habere majorem gravitatem in illo genere, quando est conjunctum aliis, quam solitarie sumptum; ergo. Minor probari solet, primo, ex cap. *ex Tuarum*, de Auctoritat. et usu pallii, quod allegat Panormit.; sed, iudicio meo, nihil vel parum probat. Item citatur cap. *Pastoralis*, de Privileg., quod nihil etiam juvat, nec plus valet cap. *Postulatis*, de Rescript., quod

Covar. allegat: nam regula ibi constituta in beneficiis non habet locum in dispensationibus, ut supra notatum est cum Panormit. in cap. pen. de Præscriptionibus. Denique allegatur cap. 1 de Treng. et pace, quoniam ibi dicitur: *Funiculus triplex difficile rumpitur*. Responderi autem potest, in præsentia etiam cumulum impedimentorum difficilius tolli, quia vel requirit unam dispensationem difficiliorem, vel cumulum dispensationum. Ratione igitur probatur illa minor, quia impedimenta simul juncta sine dubio reddunt personam minus dignam dispensatione, etiam in singulis: unde etiam simul proposita magis averunt animum principis ad concedendum tale matrimonium, vel habilitandam talem personam, ut experientia ipsa docet, et per se videtur prudentiæ consentaneum. Unde in remissione pœnarum, cum in aliqua persona plura sunt atrociora delicta, singula difficilius remittuntur in humano iudicio. Confirmatur, quia alias aperitur via fraudibus, obtinendo per plures dispensationes quod sæpissime Pontifex, re tota intellecta, per unam non concederet.

3. *Probabilitas prioris sententiæ, et securitas.*—Inter has sententias hæc posterior securior est, et in materia saltem matrimonii est practice probabilior et servanda; tum propter consensum plurium auctorum, tam ex antiquis quam ex modernis; tum propter praxim romanam, quæ hoc observat, exceptis quibusdam casibus occultis, ut Sancius notat, quæ exceptio potius firmat regulam in contrarium; tum præterea propter periculum quod est in efficiendo matrimonio nullo, ratione dispensationis male impetratæ. Denique quia talis dispensatio directe videtur peti et concedi ad contrahendum matrimonium, et ideo intentio dispensantis non videtur esse tantum tollere unum vel aliud impedimentum, sed simpliciter habilitare personam. Quapropter, si narratio ad hoc non sufficiat, tota dispensatio censetur irrita ex mente concedentis; essetque hoc longe certius si Pontifex directe interrogaret an talis persona haberet aliud impedimentum: nam per hoc magis ostenderet animum non aliter dispensandi; et ideo qui habens plura impedimenta illa negaret, nihil obtineret propter gravem deceptionem contra intentionem Pontificis, satis insinuatam per dictam interrogationem. Usus autem non habet ut talis interrogatio fiat, et ideo res est minus certa. Nihilominus tamen ipsemet usus non faciendi similem interrogationem indicat

Pontificem simpliciter accipere verba talium supplicationum, et intelligere personam non habere aliud impedimentum ad matrimonium, nisi quod proponitur, et ideo qui unum proponit et aliud tacet, virtualiter illud negat, et Pontificem decipit. Ac denique experientia etiam ostendit longe aliter et cum majori onere vel gravamine dari dispensationem, quando plura impedimenta concurrunt, et sæpe propter eam causam negari; signum ergo est nolle Pontificem dispensare in singulis impedimentis, nisi omnia quæ simul sunt simul proponantur. Et præter experientiam potest alia ratio reddi, quam in puncto sequenti commodius explicabo.

4. Hæc autem regula non videtur posse tam generaliter constitui de omnibus aliis dispensationibus et vinculis. Nam imprimis de dispensatione voti castitatis recte docet Sanci. supra, n. 4, si prius petatur dispensatio ejus quam alterius impedimenti, verbi gratia, consanguinitatis, validam fore, etiamsi solum illud sine alio impedimento proponatur. Quod ego intelligo esse verum, etiamsi habens tale votum habeat intentionem ducendi consanguineam, obtinendo postea aliam dispensationem, quia hoc accidentarium est, et dispensatio voti per se non ordinatur ad tale matrimonium, sed generaliter, ut liceat usus conjugalium quem votum castitatis impediabat. Tunc autem non immerito dubitari potest an, quando ulterius proceditur ad petendam dispensationem impedimenti consanguinitatis, necessarium sit prioris dispensationis mentionem facere: nam, licet immediate sint circa diversa, revera ordinantur ad eundem finem, et ex utraque resultat quædam major concessio quam fortasse concederetur, si de utroque impedimento simul fuisset aliquando facta mentio. Item quia videtur inconveniens admittere, posse illam personam habilitari ad matrimonium cum consanguinea per plures dispensationes, incipiendo a dispensatione voti, et non, incipiendo a dispensatione consanguinitatis, cum ex parte Pontificis nulla sit ratio præsumendi magis involuntarium in uno casu quam in alio; est ergo hoc valde probabile, et accommodatum ad impediendas fraudes.

5. *Quomodo detur dispensatio voti in ordine ad matrimonium, tacito impedimento consanguinitatis.* — Nihilominus tamen, si revera detur sufficiens causa dispensationis voti, independentis a matrimonio cum tali consanguinea, recte poterit obtineri dispensatio de solo voto, ut dixi, et postea etiam, ad obtinendam

dispensationem circa consanguinitatem, non oportebit prioris mentionem facere, quia jam impedimentum voti non existit, sed legitime fuit sublatum absolute, et sine ordine ad matrimonium, quantum est ex se, et ex vi causæ: intentio autem operantis est per accidens, et non mutat dispensationis naturam. Neque est inconveniens ut aliqua certo ordine licite fiant, quæ commutato ordine debite fieri non possunt; id enim sæpe contingit, ut alio exemplo statim declarabo; et ratio est, quia ordo agendi sæpe spectat ad honestatem, propter diversam dependentiam unius rei ab alia. Et ideo etiam dixi necessarium esse ut causa dispensationis voti non pendeat ex matrimonio cum tali persona: nam, si pendeat, necessarium erit omne aliud impedimentum matrimonii eum eadem persona explicare, quia non potest aliter iudicium ferri de tali causa, et quia tunc unum impedimentum colligatur cum alio in ordine ad dispensationem.

6. Quod autem dixi de voto castitatis eadem rationem habet in voto religionis, et ideo eadem doctrina ad illud applicanda est. Imo, licet eadem persona utrumque votum habeat, poterit validas dispensationes utriusque obtinere, non facta mentione aliorum impedimentorum matrimonii, quia neutra ex illis dispensationibus, neque utraque simul dicitur ad matrimonium cum impedimento contrahendum. De ipsis autem votis, quando sunt simul, merito dubitari potest an, ad obtinendam dispensationem alterius, debeat alterum narrari, et e converso. Hinc enim videtur id non esse necessarium, quia sunt vincula omnino distincta et inter se non colligata; nam unum obligat ad castitatem servandam, et non aliud; et hoc obligat ad religionis ingressum, ad quod non obligat alterum. Inde vero apparet contrarium; tum quia non videntur illa vincula minus inter se connexa in ordine ad statum, seu viam perfectionis, quam duo impedimenta matrimonii in ordine ad illud; tum etiam quia unum videtur difficiliorem reddere dispensationem alterius, et e converso.

7. *Obligatus votis castitatis et religionis potest-ne ab uno vinculo liberari, tacito alio.* — Breviter, mihi videtur in eo casu validam fore dispensationem voti religionis, si ab eo inchoetur, nulla etiam facta mentione alterius. Moveor ex prioribus rationibus, et quia votum castitatis faciliorem potius quam magis difficilem facere potest dispensationem voti religionis: nam facilius dispensari solet cum eo qui perpetuam castitatem est conservaturus, quia

in hoc aliquam participationem religionis retinet. E converso autem votum religionis non est connexum cum voto castitatis, nisi tanquam addens habitudinem ad majorem perfectionem, quæ tota sufficienter explicatur sine alio voto. Et præterea potest per se dari causa sufficiens ad tollendum votum religionis, relicto alio; tunc ergo recte poterit postulari pura ejus dispensatio, sine mentione alterius voti. Secus vero esset si causa honestans dispensationem voti religionis sumeretur ex ordine ad matrimonium contrahendum, etiam in generali: nam tunc oporteret votum castitatis explicare, quatenus impedimentum est ad quodlibet matrimonium contrahendum.

8. *Si dispensatio inchoetur a voto castitatis, religionis votum explicandum est.* — At vero e contrario, si dispensatio inchoetur a voto castitatis, necessarium semper existimo simul explicare votum religionis, propter rationes posteriori loco factas. Habenti enim votum religionis, irrationabilis plane videtur liberatio ab obligatione castitatis, cum nec ad matrimonium contrahendum illi sufficiat, neque etiam liberet a vinculo religionis, et quia maxime decet ut qui religionis obligationem habet, castitatem interim servet. Propter quæ non est verisimile Pontificem fuisse concessurum talem dispensationem solam, si alterius voti conscius fuisset. Accedit quod non videtur posse dari causa justa ad dispensandum in voto castitatis cum eo qui ligatus est voto religionis; tum quia votum religionis etiam obligat ad non nubendum, et licet non obliget statim ad castitatem, obligat ad promittendam illam; tum etiam quia talis persona, licet difficultatem habeat in servanda continentia, non potest illi succurrere per matrimonium ratione alterius voti; et, secluso hoc medio, tenetur absolute vincere illam; ergo tunc causa est insufficientis et irrationabilis ad talem dispensationem. Et quoad hoc bene æquiparantur hæc duo vincula cum aliis impedimentis matrimonii.

9. Et similiter potest hæc ratio ad ea quæ diximus de matrimonio adaptari; nam, cum quodlibet impedimentum impediatur totum matrimonium, de se inutilis et irrationabilis est dispensatio unius sine aliis; non enim potest deservire, nisi fortasse ad decipiendum dispensantem, ut per partes faciat quod forte simul non faceret si totum cognosceret, et ideo semper talis dispensatio merito iudicatur extra intentionem dispensantis. Et præterea non videtur posse habere causam legitimam, vel non posse ferri de illa legitimum iudicium sine

cognitione aliorum impedimentorum, quia talis causa sumi debet ex necessitate, vel utilitate talis matrimonii, de quo iudicari non potest, non cognitis omnibus impedimentis ejus: et hæc ratio videtur mihi satis efficax et notanda.

10. *In dispensationibus aliis a castitate et religione quid dicendum.* — In dispensationibus autem irregularitatum, et aliarum inhabilitatum ac pœnarum, existimo non habere locum rationem istam, neque regulariter doctrinam datam, sed potius, per se loquendo, unam irregularitatem posse tolli sine alia, præsertim quando illæ irregularitates sunt omnino disparatæ, et una aliam non aggravat, ut, verbi gratia, esse illegitimum, et casu hominem occidisse, et similes. Et quoad hoc videntur mihi efficaces rationes Navarri, in cons. 1 de Constit., quæst. 19, nam, licet de impedimentis matrimonii tractet, rationes sunt generales. Præcipua est, quia inter has irregularitates et pœnas non est connexio, nec taciturnitas unius aliquid confert ad dispensationem alterius, nisi quatenus tollit aliquam majorem difficultatem quam fortasse haberet princeps in dispensando, si omnes cognosceret; hoc autem non sufficit ad surreptionem, nisi vel jus aliquod cogat, vel aliæ circumstantiæ et rationes concurrant, ut dixi in lib. 6 de Voto, cap. ult., et affirmat Navar. cum Rota, Ægidio et Felin. Hic autem nullum est jus, nec ostendi potest. Quod enim quidam dicunt, hoc contineri in jure, quia jus præcipit explicare omnem veritatem conferentem ad dispensationem, frivolum est, et principium petit: nam hoc est quod inquirimus, an cognitio alterius irregularitatis, vel inhabilitatis, aut criminis sit intrinseca dispensationi quæ circa aliud crimen vel irregularitatem versatur. Hoc autem ex jure probari non potest; ergo verum est hanc surreptionem non fundari in jure.

11. Altera vero pars de ratione probatur, quia multitudo irregularitatum vel similium vinculorum ad summum reddit personam magis inhabilem (ut sic dicam) extensive, et minus dignam quocumque beneficio; hoc autem non satis est ad surreptionem. Et rationes omnes in contrarium, quæ solum fundantur in sola hac indignitate, et quasi resistentia ex parte personæ, revera sunt inefficaces, quia cum illa stat, quod dispensatio fiat cum plena voluntate, et cum cognitione omnium quæ ad valorem actus necessaria sunt. Et patet a simili: nam qui plures habet excommunicationes, minus dignus est quacumque absolutione; et tamen, si impetret absolutionem unius tacita

altera, valebit, ut est certum apud omnes, quia nullo jure plus postulatur. At nec in irregularitatibus postulatur. Item, qui plura habet crimina, minus dignus est beneficio; et si essent cognita, difficilior illud obtineret, vel forte non obtineret, et nihilominus collatio est valida, secluso alio majori impedimento. Item, qui propter distincta crimina obnoxius est multis pœnis, minus dignus est cujuslibet remissione, et difficilior illam obtineret si omnia simul remittenda proponeret; et nihilominus valida est remissio uniuscujusque, tacitis aliis, nisi ubi lex aliud disponit, vel unum non potest sine alio sufficienter explicari; quia, quando sunt omnino diversa, nullam connexionem habent in remissione; et illa difficultas, quæ per taciturnitatem evitatur, non causat involuntarium, nisi valde accidentarium et diminutum, quod non impedit valorem actus. Idem ergo est in irregularitatibus et aliis similibus pœnis.

12. *Regula attendenda.* — Regula ergo observanda est, ut, per se loquendo, valeat dispensatio unius sine expressione alterius, nisi gravitas unius non possit satis sine alia explicari; ad eum modum, quo Navar., cons. 18 de Rescript., dixit dispensationem irregularitatis contractæ occidendo clericum, non esse validam explicato homicidio, nisi explicetur sacrilegium. Et similiter censeo, qui plura homicidia commisit, si uno tantum narrato velit dispensationem unius irregularitatis obtinere, nihil faciet, quia, licet illæ censeantur irregularitates numero diversæ, moraliter quasi efficiunt unam graviorem, vel certe nulla illarum satis explicatur sine alia, ac denique tunc fere procedunt rationes de matrimonio factæ. Extra hos vero et similes casus, valida est dispensatio unius vinculi, tacito alio omnino diverso, quoties per se habere potest sufficientem causam et rationem ut auferatur, etiamsi cætera non tollantur. Et hactenus de dispensatione.

CAPUT XXV.

QUANDO ET EX QUIBUS CAUSIS POSSIT LEX ABROGARI.

1. Declaravimus relaxationem legis, quæ per dispensationem ex parte fit; solum superest dicendum de mutatione, quæ per abrogationem fit: sic enim appellari solet in jure totius legis ablatio, l. *Derogatur*, ff. de Verbor. signific. Distinguunt autem aliqui inter abro-

gationem et irritationem legis, ut irritatio sit, quando tota lex impeditur, ne vires obligandi accipiat priusquam plene constituta sit; ut, si lex postulans confirmationem principis ut obligare possit, ab eo non confirmetur, vel si lex lata a principe, a populo non acceptetur, juxta opinionem existimantem acceptationem esse necessariam. Sed hoc posterius exemplum falsum supponit: nam lex principis ante acceptationem populi est vera lex, et illa mutatio per resistantiam subditorum pertinet ad mutationem seu abrogationem per consuetudinem, de qua in libro sequenti dicturi sumus. Altera vero abjectio seu non admissio legis per resistantiam principis non est propria mutatio legis, quia non mutatur proprie nisi quod præexistit, imo nec irritari proprie dicitur, nisi quod jam erat ratum et validum, sicut alias de voto diximus, et ita non acceptatio legis in illo casu non est legis mutatio; quod si dicatur irritatio quasi antecedens, non est de voce contendendum, nec enim est inusitata illa significatio vocis, ut constat ex dictis de lege irritante. Nullam vero specialem explicationem in præsentem requirit, quia solum est quædam negatio institutionis legis, quæ erit valida si ex sufficiente potestate fiat, et justa si causam habeat honestam, et ad bonum commune pertinentem. Solum ergo nunc agimus de propria legis abrogatione. Advertimus autem, licet abrogatio proprie dicatur de integra legis ablatione, sub illa tamen nunc comprehenditur illam diminutionem legis, per quam in perpetuum lex tollitur, et licet non in totum, sed quoad aliquam partem; illa enim non est proprie dispensatio, ut in superioribus tetigi, sed dici solet derogatio. Verumtamen servata proportionem eandem habet rationem et doctrinam quam integra legis ablatio, et ideo sub abrogatione nunc comprehenditur.

2. *Conclusio: Lex debet esse justa, rationalis, etc.—Optima ratio dubitandi.*—Ex dictis ergo concluditur legem tunc abrogari quando supponitur esse vera lex, et permanens toto tempore, priusquam abrogetur, et consequenter debet etiam supponi justa, rationalis et utilis: nam si prius fiat injusta, nociva, aut inutilis, prius per se desinet esse quam abrogetur et ita jam non habebit locum abrogatio, quia cessatio legis distinctus modus desitionis est, ut supra vidimus. Hinc ergo sumi potest ratio dubitandi quomodo sit possibilis valida et justa abrogatio legis: nam si lex quæ supponitur non est justa, nec utilis, ablatio ejus non erit abrogatio juris, sed facti, vel potius

declaratio nullitatis legis; si vero sit justa, abrogatio erit iniqua. Quid enim magis iniustum quam legem justam et utilem abolere? ergo consequenter etiam erit invalida: nam, sicut lex injusta non est lex, ita abrogatio injusta nocere non debet communi bono, cum sit ex potestate data ad ædificationem, non ad destructionem. Dico vero potest ex D. Thoma, et aliis statim referendis, legem justam in uno tempore posse per temporum mutationem fieri injustam, et ideo illius abrogationem posse esse justam. Sed contra hoc est, quia, si mutatio temporis fecit legem injustam, jam non habebit locum abrogatio, sed per se desinet lex, et ita nunquam erit necessaria, imo nec possibilis.

3. *Legem humanam valide et juste abrogari posse.* — Nihilominus dicendum est primo, humanam legem interdum abrogari posse et valide et juste. Est certa et communis sententia, quam tradit D. Thomas 1. 2, quæst. 97, art. 1, et ibi omnes; et Sylvest., verb. *Lex*, quæst. 25; et ibi alii Summistæ et juristæ, quos refert et sequitur Covar. in cap. *Alma mater*, p. 2, in princip. Et sumitur ex Augustin., l. 1 de Liber. arbitr., cap. 6, ubi hac ratione legem humanam vocat *temporalem*, quia, licet justa sit, pro temporum varietate mutari potest et debet. Sumitur etiam ex Aristotele, l. 2 Politic., cap. 6, ubi, agitata quæstione pro utraque parte, eam indecisam relinquere videtur; nihilominus tamen absolute hoc sentit, licet indicare voluerit, hanc legum mutationem non debere esse frequentem. Idem tradit Plato, Dialog. 16, qui *Civilis*, seu de regno inscribitur, longe post medium, et Dialog. 6 de Legibus. Sumitur etiam ex utroque jure, l. unic., c. de Caduceis tollend., in princip., ubi fere omnes causæ hujus mutationis attinguntur, et ex c. 2, d. 14, et aliis quæ statim afferemus. Denique sumitur ex Dei exemplo, qui legem suam abrogavit: si enim hoc potuit facere Deus immutabilis, propter hominum et temporum mutationem, ut late expendit Augustinus contra Faust., multo magis id erit concessum hominibus. Atque hinc concluditur ratio assertionis: nam in lege humana inveniuntur omnia principia mutationis; tum ex parte auctoris proximi, qui mutabilis est, et in intellectu, quia paulatim cognitionem acquirit, et in voluntate, quia finita et potentialis est; tum ex parte actionum circa quas proxime versatur, quia nec sunt intrinsece malæ, neque ita bonæ, ut sint per se necessariae ad morum honestatem; et ideo lex humana non est hoc

capite immutabilis, sicut lex naturalis. Aliunde vero etiam quoad utilitatem, per mutationem temporum possunt hujusmodi actiones variari: nam quæ uno tempore utiles sunt, vel expediunt, in alio fiunt inutiles aut nimis graves. Denique etiam ex parte subditorum, quibus leges humanæ imponuntur, habet locum hæc mutatio, quia etiam ipsi homines mutabiles sunt, et propter morum vel aliarum rerum mutationem illis nunc non expediunt leges, quæ antea expediebant: constat ergo hanc mutationem possibilem esse.

4. *Ut abrogatio legis justa sit et licita, causa propter bonum commune necessaria est.* — Ut autem explicemus quomodo possit esse justa, dicendum est secundo: ut lex humana juste ac licite abrogetur, necessarium est ex justa causa, propter commune bonum abrogari. Ita D. Thom. supra, et omnes, et tradit bene Plato, Dialog. 7 de Legibus, parum a principio. Ubi pro fundamento sumit, mutationem omnibus in rebus, præterquam in malis, esse periculosissimam, et inde concludit maxime hoc esse verum in mutatione legis, et ideo magnam considerationem ad illam requirit, sicut etiam in Dialog. 6 late docuerat. Sumitur etiam ex cap. *Non debet*, de Consanguin. et affinit., et ex cap. *Alma mater*, de Sentent. Excommun., in 6, et ex l. 2, ff. de Constil. Princip., ubi *urgens necessitas* vel *magna utilitas* postulatur. Ratio vero est primo, ne contemnantur leges frequenti mutatione. Secundo, ait divus Thomas, quia consuetudine firmantur, et ideo nisi ita durent ut earum observatio, et consuetudo fiat, et quasi habitus acquiratur, nunquam pro dignitate servabuntur. Postquam autem consuetudine firmatæ sunt, non facile est ab honesta consuetudine recedendum, præsertim cum leges humanæ esse debeant moribus et consuetudinibus accommodatæ. Tertio, quia, sicut lex non debet poni nisi propter commune bonum, ita nec auferri, nam uterque est actus publicæ potestatis et jurisdictionis, quæ ad commune bonum ordinatur. Unde ita concluditur: nam vel lex posita erat rationalis, et ad commune bonum utilis, et in eo statu perseverabat, vel non; si primum, irrationabiliter tollitur, quia contra bonum commune fit; si secundum, jam intercedit causa justa ad legem tollendam.

5. *Duplex modus mutandi legem.* — Unde intelligitur dupliciter posse fieri hanc mutationem. Primo, solum propter mutationem legislatoris, quæ potest esse vel in sola voluntate, vel in intellectu. Quando est tantum ex parte